



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hesus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

Clarissimo Nostri Secvli Poetae & pio & casto D. Eobano Hesso, suo in  
Domino fratri charißimo Martinvs Lvthervs S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

# CLARISSI MONOSTRIS ECVLI POETAE

& pio & casto D. Eobano Hessio, suo in  
Domino fratri charissimo

MARTINVS LVTHERVVS  
S. D.

**C**RATIAM & pacem in Domino no<sup>n</sup>  
stro IESV Christo, Amen. Psalteria  
um tuum, Clariſſime Eobane, & in  
Domino frater chariſſime, tuo no<sup>n</sup>  
mine mihi redditum accepi. Et sum=ma uoluptate legi, lego, legamq; semper: ita gratus  
est mihi labor tuus in hunc mihi suauissimum librum  
collocatus Agoq; tibi gratias quam maximas, quod  
per Musas tuas, tam benignas, tam pias, mihi uidere  
licuit Poēma hoc regium, diuinum, & inter Hebræa  
excellentiſſimum, Latinum factum. Nam & aliorum  
omnium studia, qui in hoc Poēmate uertendo, illu=ſtrando & excolendo operam nauarunt, magnifice laudo, etiamſi alicubi forte non omnia assequantur.  
Neq; enim omnes omnia possumus, exceptis his, qui  
nobis Iudaicas tenebras in clarissimam lucem aliquot  
Psalmorum inuehunt, hoc enim non possum non faſtidire: Ita tuum maxime probo, qui primus & for=taſſe unus inuentus es in uniuersa lingua Latina, qui  
Poēsim hanc diuinam, Poesi Latina reddere tam feli=citer aggressus sis, & pari felicitate perfeceris, In qua  
re



EPISTOLA PHIL. MEL.

re hoc tuum opus ualde amo, ac primum hanc uoluntatem laudo, quod Musas tuas ad celebranda diuina oracula, & ornandam religionem exuscitas. Ego quidem ut reliquam Musicen, ita Poëticam iudico religionum conseruandarum caussa initio hominibus donatan esse: Cunq; uis illa scribendi carminis, sine ulla dubitatione, cœlestis quidam motus sit, maximè conuenit Poëtis, eam uim ad res diuinias illustrandas conferre. Itaq; præclaré illa dicuntur, cum ab aliis, tum à Pindaro, Musas primum debere Deum canere. Gratulor igitur tibi hunc animum, quod Musis tuis, hoc est, felicissima ingenij uena diuinatus donata, res diuinias celebrare studes: Deinde etiam iudicium probo, quod Psalmos delegisti. Erat enim facilius, aut novuos Hymnos scribere, ut fecit magna cum laude Pontanus, aut Historicum argumentum tractare, quod splendescere magis potuit, quam ob caussam Vida historiam Christi descripsit. Et in huiusmodi argumentis quanta sit ubertas, quanta suauitas, quantus nitor Heroides tuae declarant. Sed uideo te utilitatis publicerationem habuisse, quod Psalmi recte translati, & ueluti habitu Latino ornati, multò facilius intelliguntur. Hæc figurarum & phrasis explicatio multum lucis affert, & conductit ad iudicandum adolescentibus. Quare & ad pietatem, & ad formandas generosas naturas ad studiū Poëtices, prodesse hanc Psalmorum editionem statuo. Scis autem & illud Poëta



EPISTOLA PHIL. MEL.

ētē officium esse in Repub. ut & Plato & alij multi  
preceperunt, ut scribat utilia uitae seu moribus, quod  
in hoc opere tu quidē egregiē præstitisti. Postremo,  
etsi scio quām sint morosa iudicia, & de sententiarū  
proprietate, & de genere uersuum, tamen ego in alte-  
ro diligentiam tuam, in altero felicitatem laudo. In-  
epitissimum genus est illorum, qui quadam Iudaica su-  
perstitione addicti glossematis Iudeorū, cum figuris  
non intelligant, nec sententiarū ordinem animaduer-  
tant: sēpe absurdas interpretationes, ac uerē, ut Græ-  
cē dicitur, περὶ τὸ μέλος affingunt. Hos sibi pla-  
cere sinamus, tu Nusis et melioribus ingenij canito.  
Ago itaq; gratias tibi & meo & publico nomine,  
quod Ecclesiā pulcerrimo monumēto ornasti, &  
uentutis studia accēdis & adiuuas. Neq; hoc meū ita-  
dicium obscurum est. Soleo enim adhortari adolescen-  
tes nostros, ut hoc scriptum legant & ament. Propte-  
rea quod & Psalmis multū lucis affert, & prodest  
his communibus studijs. Nam cū diuina quadā inge-  
nij felicitate, ueterē & pulcerrimam carminis formā  
reuoaueris, nostros homines ad studiū Poëtices inui-  
tasti, quod ad eloquētiae studia conseruanda plurimū  
affert momenti. Quare tibi multum debet Resp. &  
debet posteritas, quod ingenij tui felicitate, & tua  
diligētia, optimæ artes excitatæ et propagatæ sunt,  
qua laude, doctis quidem nulla debet esse opta-  
tior, Bene uale. Vuittembergæ Cal.

Aug. M.D.XXXVII.

Bb 2 Iustus

